

SI ALIENA RES PIGNORI DATA SIT.

8.16.1

*Impp. Severus et Antoninus AA. Carpo.*

Procurator citra domini voluntatem domum pignori frustra dedit, si tamen pecuniam creditoris in rem domini versam constabit, non inutilis erit exceptio dumtaxat quod numeratum est exsolvi desideranti.

*PP. XI k. Nov. Severo A. II et Albino consss.*

[a. 194]

8.16.2

*Idem AA. Latinae.*

Si probaveris praesidi hortos de quibus agebatur tuos esse, intellegis obligari eos creditori ab alio non potuisse, si non sciens hoc agi in fraudem creditoris ignorantis dissimulasti.

*PP. prid. id. Oct. Antonino A. II et Ceta II consss.*

[a. 205]

8.16.3

*Imp. Antoninus A. Marciae.*

Curator adulti vel tutor pupilli propriam rem mobilem eius, cuius negotia tuetur, pignoris iure obligare non potest, nisi in rem eius pecuniam mutuam accipiat.

*PP. VI k. Febr. duobus Aspris consss.*

[a. 212]

8.16.4

*Imp. Alexander A. Secundo.*

Nec si maior annis viginti quinque fuisset filius tuus, qui in potestate tua erat, te invito rem tuam obligare potuit.

*PP. V k. Nov. Maximo II et Aeliano consss.*

[a. 223]

8.16.5

*Impp. Diocletianus et Maximianus AA. Euticho.*

Cum res, quae necdum in bonis debitoris est, pignori data ab eo postea in bonis eius esse incipiat, ordinariam quidem actionem super pignore non competere manifestum est, sed tamen aequitatem facere, ut facile utilis persecutio exemplo pignoraticiae daretur.

*PP. XIII k. Iun. Maximo II et Aquilino consss.*

[a. 286]